

Memini enim quantam semper antiquorum Ecclesiae temporum notitiae cupiditatem habueris? Cui enim obscurum esset te Ecclesiastica historia potissimum delectari, ex quo vel ipso tui Episcopatus initio anagnostem Clericum designasti, qui prandii hora quotidie aliquid de ipsa te nobisque audientibus legeret? Ex optima hac studiorum tuorum ratione profecta est sollicitudo, qua ducebaris, amplissimae tuae dioeceseos antiquitates cognoscendi. Teneo enim disputationes, quas in familiari sermone serebas de antiquorum Episcoporum origine, successione, gestis, decretis, synodis, aliisque praeclaris viris, qui eam vel sanctitate, vel doctrina illustrarunt. Cum autem multa caligine obsita cerneres, dolebas adeo pauca temporis edacitate, atque infortuniorum vicissitudine ad nos monumenta transmissa, et ea insuper usquequaque dispersa magna ex parte latere. Teneo etiam quantum operae, ac diligentiae adhibueris in illorum codicum investigatione, quos fama erat Josephum Gattum Aquensem, ac liberalium artium in ea civitate magistrum de Episcoporum gestis conscripsisse. Ferebatur enim ipsi publica tabularia visendi factam fuisse facultatem, ut juxta Ignatii Marucchi, et Josephi Caprae decessorum tuorum voluntatem novam conderet, ac sinceriores Episcoporum Aquensium chronotaxim. Qua in re praeclare ab eo multa adinventata atque excogitata egregie fuisse a multis accepti. Profecto acre judicium cum haud vulgari eruditione conjunctum illum habuisse demonstrant inscriptiones, quae mira elegantia, ac brevitate sub singulorum Episcoporum imaginibus a celebri pictore Monferratensi Goltzio in majori Episcopii aula depictis probante Francisco Chionio in Regio Taurinensi Lyceo Latinae eloquentiae professore ab eo compositae leguntur. Hujus laus clarius fortasse innotesceret, si vel tantum vixisset, quantum ad ea, quae paraverat, exponenda, edendaque necesse fuisset, vel saltem inveniri, ac in publicam lucem extrahi potuissent. Quod ut tibi e voto succederet, nil intentatum reliquisti. Hoc autem tuum in hac re studium licet per hominum improbitatem fructu suo caruerit, laudarunt tamen omnes et ut singularis erga Ecclesiam tuam, de cujus illustratione agebatur, benevolentiae, et peculiaris in bonas literas amoris argumentum.

Mihi vero, qui eo cogitationes omnes converteram, ut quod tibi placere posse cognoscerem pro viribus conarer, haud fuit diutius de operis, quod tibi arrideret electione deliberandum. Qua propter omne tempus, quod ex officio supererat hujus dioecesis, civitatisque originibus investigandis, ac documentis conquirendis, et interpretandis transmittendum putavi. Quo in studio licet multum mihi laboris, ac patientiae subeundum fuerit, attamen obsequendi tibi voluntas leve reddidit, atque jucundum. Animum addidit etiam complurium ex civitate, ac Clero sententia, qui meum hoc consilium, ut apud eos percerebuit, et statim probarunt, et adjuvare se velle sponderunt. Inter hos maxima mihi laude celebrandus ille Franciscus a Turri paucos ante annos (1783) maximo et mei, et totius civitatis dolore defunctus, qui ut erat multiplicis eruditionis genere versatus, tum historia potissimum delectabatur. Huic si voluntas haud defuisset, egregiam sane,